

adhibeantur ad indagandam veritatem. 2. conditio est titulus justus, v. g. emptionis, donationis, cet. sive re ipsa existat, sive prudenter, ac probabiliter existere putetur, qui tunc dicitur *coloratus*. 3. possessio continuata per tempus a lege præscriptum. Cum titulus adest, res mobilis triennio præscribitur ex *instit. de usucap.* Cum vero titulus non adest, non præscribitur nisi post annos triginta. Atque id etiam temporis etiam requiritur ad præscribendum in rebus immobilibus privatorum, sine titulo ex *t. 3. eod. de præsc.*

172. Cum non solum adest titulus *coloratus*, sed verus & proprius titulus, prescribuntur bona immovilia privatorum post annos decem inter præsentem; & viginti inter absentes. Præsentem autem dicuntur ii, qui in eodem habitant territorio, etsi non in eodem oppido. Quod si quis partim fuerit absens, & partim præsens, ad præscribendum, ex auct. *quod si c. de præscr.* tot anni sunt abjiciendi, quot numerantur absentiam; ita ut duo anni absentiam numerentur pro uno presentiam. Res immobiles Minoris requirunt annos triginta ad prescriptionem. Bona immovilia Ecclesiam, vel alterius loci pii non præscribuntur nisi post annos quadraginta, & bona Ecclesiam Romanam post annos centum, ex auct. *quas actiones c. de Ss. Ecclesiis.*

173. Quarta conditio est, ut res sit apta prescriptioni. Plura enim sunt, quæ omnino præscribi nequeunt, ut sunt res publicæ, jura spiritualia, v. g. jus decimarum, jus conferendi beneficia, non autem jus patronatus. Res fur-

tivæ nunquam a jure præscribuntur; si quis autem eas bona fide accepit a fure, requiruntur ad prescriptionem 30. anni inter præsentem, 40. inter absentes. Hæres, qui bona fide accepit rem a testatore malæ fidei, in probabiliori sententia non præscribit; cum hæres censeatur una, eademque persona cum testatore; eique succedat tum in omnia illius jura, tum in obligationes, quarum una est restituendi rem malæ fidei possessam. Constat ex *lib. 11. ff. de div. temp. præscript.* ubi legitur: *cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignoracione sua defuncti vitia non excludit.*

174. Aliud est de rebus, quæ alio titulo, quam hæreditatis, accipiuntur bona fide, v. g. emptione, donatione, cet. quæ prescribuntur tempore a lege statuto Excipe res furtivas, aut vi oppressas, quæ requirunt annos saltem 30. ac res immobiles; si ille, contra quem præscribuntur, ignoret eas ab alio possideri; tunc enim non possunt præscribi nisi post annos triginta ex auct. *malæ fidei Cod. de præst. longi. temp.* Denique in his, quæ attinet ad prescriptionem præter jus commune, consulendæ sunt leges particulares, consuetudines provinciarum; sæpe enim a lege municipali corriguntur jura communia. Notandum autem, per prescriptionem legitimam acquiri dominium etiam in foro conscientiam; cum possit lex humana ab uno in alium dominium transferre ob commune bonum, & ad lites, & jurgia vitanda.

TRACTATUS VIII.

De octavo, & reliquis Decalogi Preceptis.

CAPUT I.

De Precepto octavo

Non falsum testimonium dices. Ex. 20.

1. *Quest. 1.* Quænam sub hoc præcepto prohibentur? R. omnis injusta læssio famæ, & honoris proximi per judicium temerarium, per temerariam suspensionem, & dubitationem per detractionem, contumeliam, calumniam, & mendaciam; vel denique per rei secretæ injustam revelationem.

Quest. 2. Quid est iudicium temerarium, & quando est mortale? R. iudicium est firma animi sententia, seu certa animi assensio rei, quæ prudens erit, cum sufficienti innitur fundamento, si secus, erit imprudens, & temeraria. Cum de gravi malo proximi sine gravi ratione iudicatur, est peccatum mortale, quia fit gravis injuria proximo; unusquisque enim jus habet ad bonum nomen & famam, nec potest, aut debet malus iudicari nisi ab eo, qui habet grave motivum aliter iudicandi. Hinc Luc. 6. ait Dominus: *nolite iudicare, & non iudicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini*; idem habetur Matth. 7. & Jacob. 4. Hoc tamen iudicium est sæpe veniale peccatum tum ob defectum adver-

tentix, tum ob levitatem materiæ, tum quia magna est probabilitas ad ita iudicandum, quamvis non sit moralis certitudo. Atque hæc ut plurimum eveniunt, ubi non intercedit voluntaria invidia, vel odium, vel mala erga alterum animi affectio.

2. *Quest. 3.* Quid est suspicio, & dubitatio temeraria? R. Suspicio est assensus rei, non quidem certus, sed inchoatus, non quis inclinatur in unam partem, iudicans probabiliter latere aliquod fundamentum: dubitatio autem est quædam animi suspensio, in neutram partem inclinantis; hi actus imprudentes sunt, & temerarii si absque sufficientibus indiciis concipiuntur; majora autem requiruntur indicia ad iudicandum, quam ad suspicandum, vel dubitandum. Jam vero suspicio, & dubitatio temeraria juxta multos solum sunt veniale peccatum ex genere suo, atque ita sensisse videtur D. T. q. 6^{q. art.} 3. Alii volunt esse mortale, quia inter graviora crimina, 1. ad Timoth. 6. numerantur *suspiciones male*. Censeo non esse nisi veniale, cum suspicio procedit ex errore, & sine pertinacia; vel non caret omnino aliquod indicio. Si vero suspicio, aut dubitatio procedat ex malitia sine justa causa, potest esse mortale, præsertim si sit de peccatis gravissimis, quia talia suspicando forte major injuria proximo irrogatur, quam si certum feratur iudicium de aliis peccatis minus gravibus.

3. *Quest. 4.* Quid sit detractio, ac contumelia? R. Detractio est alienæ famæ injusta violatio; contumelia injusta honoris dimi-

nutio. Differunt inter se, quia detractio famam lædit, contumelia honorem; & quoniam ista instar rapinæ fit palam contra præsentem, illa instar furti fit ut plurimum clam, & in absentem. Detractio dicitur *directa*, & *formalis*, cum malum de aliquo dicitur ex animo ejus famam lædendi; *indirecta* vero & *materialis*, cum ex levitate aliqua, vel alia de causa alterius peccatum aperitur.

4. *Quæst. 5.* Quale sit peccatum contumelia? R. ex genere suo est grave peccatum, & quidem gravius detractio, sicut rapina gravior est furto. Nam Matt. 5. v. 22. habetur: *qui dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ.* Excusat autem aliquando a mortali vel inadvertentia, vel materiæ levitas: imo aliquando nullum erit peccatum convicia in aliquem proferre, si justa sit causa, ut de superiore ad corrigendum subditos docet S. Thom. q. 72. ar. 2. ad. 2. E contrario contumelia in se levis potest esse gravis, si fit animo graviter contristandi alterum, aut personæ dignitas sit tanta, ut ex levi convicio magnum ipsi dedecus inferatur. Ad contumeliam refertur *irricio*, de qua S. Th. ait 2. 2. q. 76. a. 2. *aliquem illudere, vel irridere est eum omnino parvi pendere, & eum tam vilem aestimare, ut de ejus malo non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic dirisio est peccatum mortale.... & tanto gravius, quanto major reverentia debetur personæ, quæ illuditur.* Sæpe tamen veniale est, vel quia levis est materia, vel quia deest animus

graviter lædende, vel quia non infertur proximo gravis tristitia, vel damnum.

5. *Quæst. 6.* Quando sit gravis culpa detractio? Ex genere suo mortale peccatum est detractio proprie dicta, qua quis de proximo male loquitur, intendens famam ejus denigrare; etsi ex parvitate materiæ, vel indeliberatione possit esse veniale. Revelare tamen peccatum alienum absque animo violandæ ipsius famæ, non est *detrahere per se*, & *formaliter loquendo*, inquit D. Th., sed solum *materialiter*, & *quasi per accidens*. Est tamen mortale revelare grave crimen alterius sine justa causa, etiam si fit sine animo ipsum lædendi; & quidem non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam. S. Th. ibidem, & TT. omnes. Unusquisque enim jus habet, ne violetur ipsius fama; quæ certe violatur, dum occulta ipsius peccata sine causa manifestantur. Revelare autem naturales alterius defectus, non est mortale, nisi ex circumstantiis maxima inde redundet infamia; ut redundare aliquando potest, aperiendo natalium infamiam, aut de viro valde conspicuo dicendo fuisse mancipium aut vile officium exercuisse, cct.

6. *Quæst. 7.* Quibus de causis licet proderi alterius crimen? R. 1. ad impediendum grave damnum, sive spirituale, sive temporale, tivo, vel alteri injuste impendens; quia nemo jus habet retinendi famam cum damno innocentis; imo & debet pati famæ suæ jacturam, cum necessaria sit ad avertemdum damnum communitatis, aut privati innocentis. 2. fieri

potest, & debet revelatio criminis occulti, cum necessaria est ad correptionem delinquentis, servato, quoad sit opus, ordine caritatis. 3. debent aperiri vitia alterius, cum agitur de officio, Matrimonio, Beneficio Ecclesiastico, aut Religione suscipienda, modo non detegantur, nisi iis, ad quo spectat, nec plura detegantur, quam quæ sint necessaria. 4. licet monere alium, cum periculum est, ut ex alicujus consortio pervertatur. Unde Ap. Timotheum monuit de malis, quæ ab Alexandro ærario, periulerat, *ep. 2. c. 4.* Denique licet crimen alienum detegere ad petendum consilium, modo non pluribus, quam opus sit, manifestetur.

7. Hinc excusantur aliquando a mortali, qui solatii causa amico narrant injuriam sibi ab alio illatam, etsi inde aliqua infamia proveniat auctori: sed non sunt excusandi, si possint dolorem eum lenire, tacendo personam, & non faciant: aut pluribus dicant, quam necessarium sit ad ipsorum consolationem. Excusantur etiam, qui ut suam famam tueantur, quam aliter tueri non possunt, imminuunt famam alterius, sed peccant, si eam alia via recuperare possunt, aut plus lædant honorem proximi, quam sit necesse. Multo gravius peccant, si falsa dicant ex pro. damnata ab Innoc. X. *probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honore defendat.* Aliqui putant mortale non esse revelare crimen alterius uni, vel alteri viro probo, & prudenti, modo id non fiat ex pravo animo ipsum lædendi. Ita Cajetanus, & pauci alii, qui pro se adducunt

D. Th. quodl. 11. a 13. Verum Suárez, Lessius, Azor, & alii, communiter esse mortale censent; quia sæpe homines ægrius ferunt se lædi apud unam personam gravem, quam apud alias multas, adeoque nec Confessori licet manifestare complices, quando non est omnino necessarium. 8. *Quest. 8.* An ad vitandum grave tuum damnum, possis crimen alterius occultum revelare si notitiam injusta via acceperis, v. g. aperiendo litteras? Plures sunt hac in re sententiæ; sed mihi præ omnibus arridet opinio quam tenent De-Lugo, Tournely, Sporer, & aliique, docentes id generatim non licere tibi cum damno alterius; cum actio injusta, qua tu secretum accepisti, obliget te ad reparanda omnia damna, quæ inde sint proximo obventura. Solum id ergo liceret, cum tibi permissum esset illud crimen exquirere, & litteras aperire, v. g. si revelatio necessaria esset ad bonum commune Reip. 2. si alter teneretur ex justitia secretum revelare, ad damnum tuum reparandum. 3. si ille te injuste vexaret, nec aliter tibi posse providere.

9. *Quest. 9.* Quando secretum sit servandum, & quale peccatum sit illud revelare? R. revelare secretum, quod sit magni momenti, vel ex cujus notitia grave damnum proximi oriri possit, ex natura sua est peccatum mortale, obligans ad resarciendum damnum. Hinc Eccl. 27. dicitur: *qui denudat arcana amici, fidem perdit.... Denudare amici mysteria, desperatio est animæ infidelis.* Idque sive arcanum fortuito a te sciatur, sive fidei tuæ sit ab alio commissum;

nec potes obligari a superiore, ut illud reveles, nisi alia via sit cognitum, quia *servare fidem, est de jure naturali*, ut docet S. Thom. quæst. 70. art. 1. Hinc consiliari, Medici, Advocati, obstetrices, Theologi, & alii, quibus arcanum ex officio sit commissum, strictius ex justitia ad silentium obligantur. Qui autem promisit alteri servare secretum, ad illud tenetur juxta gravitatem materiæ, & mentem promittentis.

10. Potest autem justa causa intercedere arcanum aperiendi 1. si qui revelavit tibi, facultatem tibi concedat sive tacitam, sive expressam. 2. si necessaria sit ejus manifestatio ad avertendum grave damnum commune, vel privati innocentis, vel ad correptionem ipsius, qui secretum commisit. 3. ad vitandum proprium damnum, quod re vera sit grave, nec alia via vitari possit; quia nemo putandus est velle sese obligare cum gravi suo detrimento. Excipe, nisi ex revelatione immineat grave damnum commune; hoc enim præferendum est privato tuo damno. Quid vero si promiseris alteri rem secretam servare etiam cum vitæ tuæ periculo? Negant aliqui te adhuc ita obligari, cum nulli liceat vitam suam prodigere: affirmat tamen communior sententia; quia hoc non est directe sibi mortem inferre, sed vitam non tueri, quod justis de causis licitum est.

11. *Quæst. 10.* An, & quando liceat publicum alterius crimen detegere? R. 1. crimen aliquod potest esse publicum tripliciter. 1. *notorietate juris*, cum de eo constat per legitimam judicis sententiam. 2. *notorietate facti*, cum pu-

blice paratum est. 3. *notorietate famæ*, cum fama criminis pervenit ad majorem partem loci, vel Urbis, vel Communitatis. R. 2. crimen sive jure, sive facto publicum manifestare aliis, qui nesciunt, ex natura sua non est peccatum mortale, saltem contra justitiam. Ita communior sententia cum S. Antonino, Navarro, Salmant. Lugo, & aliis contra alios. Ratio est, tum quia ratio judicii justæ, & evidentiæ facti tollunt alteri jus ad bonam famam, tum quia bono publico sæpius expedit, ut non lateant viri facinorosi, sed caveri possint: quæ tamen ratio solum habet locum in iis delictis, quæ reddunt hominem perniciosum, & ab aliis vitandum. Atque in iis detegendis non peccatur neque contra justitiam, neque contra charitatem, cum bonum publicum præferendum sit bono privatæ famæ. Quod confirmat consuetudo ubique recepta mandandi historiis publica crimina ad instructionem posterorum. Erit autem caritati contrarium ea manifestare in eo loco, quo fama non est probabiliter perlatura, aut non nisi post longum tempus, vel cum gravi damno ejus, qui commisit. Erit etiam mortale contra justitiam, & charitatem, infamem de uno crimine infamare de altero, quod ei non sit valde affine, & connexum, quia per unum delictum non amisit jus ad famam in aliis virtutibus; secus vero si quod narratur adeo affine sit, ut infamiam graviter non augeat, ut si de adultero narres scripsisse litteras amatorias, aut de lusore publico non curare rem familiarem, & similia.

12. *Quæst. 11.* An peccatum sit referre al-

terius peccatum, ut ab aliis auditum? R. 1. non est mortale, si ita referas, ut prudenter persuasum habeas, nullam inde infamiam alteri inferendam, eo quod non sint credituri. 2. si audita referas, ita ut dictis sint fidem habituri ex ipsorum tantum malitia, non peccas contra justitiam, cum non sis causa efficax infamiae, quae ipsis est imputanda; peccabis tamen contra charitatem, non impediendo damnum grave proximi, cum sine tuo incommodo possis facile impedire. 3. si audita, vel lecta referas, nominato gravi auctore, qui possit inducere alios ad credendum grave malum proximi, peccas graviter contra justitiam, & obligaris ad restituendam famam, cum sis causa injusta infamiae alterius.

13. *Quaest. 12.* An sit peccatum, defunctum, vel se ipsum in re gravi infamare? R. aff. si non sit justa causa. Ac primo quoad defunctum, est certum eum retinere jus ad bonam famam etiam post mortem possidendam, cum ob eam inter vivos post obitum conservandam res arduas homines aggrediantur. Unde Eccl. 41. dicitur: *curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni.* Quod attinet ad se ipsum, non est nisi veniale se ipsum infamare, nisi intercedat scandalum, aut infamia propria ad alios redundet. Nullum autem erit crimen, si justa causa intercedat, veritatem aperiendo; imo id cum merito, & laude ob humilitatem fieri potest, ut multi Sancti fecerunt.

14. *Quaest. 13.* An, & quomodo peccat audiens detrahentem? R. peccat contra justitiam,

qui inducit, vel confirmat alterum ad detractionem; qui vero de gravi detractione gaudet; cuius non est efficax causa, solum peccat contra charitatem, cum delectetur de gravi damno proximi. S. Th. 2. 2. q. 73. Superior tam detrahentis, quam detracti peccat graviter, si detractionem non avertat, cum commode possit; cum ipsi grave munus incumbat corrigendi detrahentem, & damnum praeveniendi ejus, cui detrahitur. S. Th. ibidem. Utrum autem peccet contra justitiam, disputatur a TT. Negat sententia probabilior, nisi is, qui infamiam forte patitur, imploret auctoritatem Superioris contra infamantem subditum, aut nisi sit Parochus, vel Episcopus, cum uterque ex justitia obligetur ad corrigendos subditos.

15. Quod ad privatam personam attinet, audiens detractionem tenetur eam impedire, si commode possit, ex lege charitatis fraternae, vel saltem discedere, aut alio sermonem avertere, aut vultum severum ostendere. Excusatur tamen a peccato; qui omittit correctionem, vel quia non sperat profuturam, vel quia correpti, saepe magis exasperantur, vel quia alter justam habet causam manifestandi crimen alienum. Denique S. Th. docet, non nisi venialiter peccari a persona privata, qui vel ex timore, vel ex verecundia, vel negligentia omittit correctionem, nisi exinde grave damnum proximo immineret. 2. 2. q. 73. a 4.

16. Denique nota 1. non esse mortale de ignota, vel indefinita persona male loqui, modo non possit quis venire in cognitionem talis per-

sonæ. 2. gravissime pecari ab eo, qui dixerit, tacita persona, in tali monasterio, vel domo delictum grave, v. g. adulterii, vel fornicationis esse perpetratum, cum infamia in monasterium, vel ordinem redundet. 3. dicere in tali monasterio non servari disciplinam, laxiorem vitæ rationem agi, nisi res sit notissima. Atque ita detrahentes tenentur famam restituere: quod si scripto, vel infami libello id fecerint, debent pariter scripto infamiam reparare. Explicandum autem est in Confessione, an cuiquam apud multos, an apud unum, vel paucos detraxeris; non tamen est necesse dicere, in quo genere alium infamaveris; cum eadem sit in specie fama in genere moris.

CAPUT II.

De restitutione honoris, & famæ.

17. *Quest. 1.* Quo modo restituendus sit honos per contumeliam ablati? R. si palam eorum aliis læsus sit; debet coram iisdem restitui, ita ut sit æqualis injuriæ satisfactio. Quod si contumelia fuit occulta, offensor tenetur petere veniam ab offenso, aut specialia illi exhibere honoris signa, quantum opus sit, ut ipsi fiat satis, & ejus animus reconcilietur juxta præceptum Salvatoris Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo.* Nihilominus si is, qui alterum in honore læsit, fuit Superior, vel longe superioris conditionis, non est opus ab offenso

veniam petere, sed satis est alio modo contumeliam reparare. Imo ut ait Aug. ep. 109. raro Superiores tenentur veniam a subditis petere, *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Debent tamen injuriam compensare aliis honoris, & benevolentia significationibus. Quo autem modo satisfacere oporteat, prudentis erit confessarii judicare, attendita personarum conditione.

18. *Quest. 2.* Quo modo debeat fama restitui? R. si crimen falsum alteri imposuisti, teneris id aperte retractare, adhibito etiam, si opus sit, juramento. Non tamen est opus juramento testes adhibere, ut volunt Lugo, Bonac. & alii. Quod si ad id non sufficiat, dicere te deceptum esse, aut rem male intellexisse, debes profiteri te mentitum fuisse; & quidem fieri id debes coram iis omnibus, apud quos falsum crimen narrasti. An autem tenearis etiam retractari coram mediatis auditoribus, res est in controversia posita apud DD. Censeo non esse satis restituere famam apud auditores immediatos, nisi prudenter existimes istos se apud mediatos retractaturos; cum quisque ex justitia obligetur damnum illatum compensare, quantum in se est, si illud prævidere facile potuerit: secus vero si damnum, quod oriri exinde poterat, nec prævidit, nec potuit moraliter prævidere.

19. R. 2. Si crimen occultum, sed verum propalasti, debes famam restituere, dicendo, *te male dixisse, vel injuste diffamasse*, ut docet. S. Th. 2. 2. q. 62. Quod si hæc ratio non sit apta, ut certe non est inter personas non om-